

Πι
2108

ACTVM
ORATORIVM,
IN
SCHOLACATHEDRALI
NVMBVRGENSI

HABENDVM, INDICAT,
ET,

DE FACIE ECCLESIAE NOSTRAE
A PRINCIPIO HVIVS SECVLI NONNIHIL MVTATA,

PAVCA PRAEMITTIT

CHRISTIANVS BENEDICTVS MILCKIVS,
SCHOLAE CATHEDRALIS RECTOR.

NVMBV RGI,
TYPIS BALTH. BOSSOEGELI, PRIVIL. TYPOGR.





Vinquaginta rursus anni, quae insignis Dei O.M. gratia est, ad aetatem ecclesiae nostrae accesserunt. Quod si respicimus, quae ejus facies initio seculi fuerit, et quae nunc sit, quamque fortunam hoc temporis spatio, non ita magno, quasque vicissitudines, habuerit, est sane partim, quod doleamus, partim, quod gaudeamus. Subit enim recordatio animum quot, et quantis, quamque diuturnis, purior ecclesia domi disfidii non sine acerbitate, mutuoque odio agitata, distracta et lacerata sit, quae inde offensiones extiterint, et quantum detrimenti sit acceptum. Recordamur etiam, quam impiae et perniciosae passim opiniones, in vulgus sparsae, invaluerint, et nunc latius serpere coeperint in sanctiore Dei coetu, non facile eradicandae: quam profligati item homines ex medio surrexerint, qui ecclesiam publice probris, contumeliis, atque injuriis lacerare non erubuerunt, eam omni modo pessime habentes. Videmus denique capitales reipublicae sacrae hostes exultantes, quod fraudes suae atque insidiae, vis etiam et audacia neque vanae prorsus neque irritae fuerint, quod nonnihil cladis nobis intulerint, et quibusdam in locis saniores Dei cultores, si non opprimere, tamen in angustias cogere, potuerint. Quae quidem ecclesiae vulnera, una cum aliis, jam non tangendis, si animo perpendimus, non possumus piissimae matris vicem non dolere. Sine contrario cogitamus, quanta his quinquaginta annis prope elapsis Deus in rem sacrae beneficia contulerit, quantas ei propitiae suae voluntatis significationes dederit: inique fecerimus, si dolori hoc tempore indulgeamus potius, quam gaudia concipiamus, nobisque gratulemur. Namque ita Pater indulgentissimus pro sua gratia nobiscum egit, ut puriora sacra, a duobus his seculis nobis concessa, si quod discrimen subierunt, non defenderet tantum, sed etiam amplificaret, multoque redderet illustriora. Stat enim adhuc verbi divini puritas et sacramen-

mentorū integritas, et, qui hostes eam uel palam, uel clanculum, experiri ausi sunt, ii parum illi detrimenti attulerunt. Non defuere viri tam pii, quam fortes, qui ecclesiae causam magno animo egerunt, eamque, in omnibus suis periculis, saluam atque incolumem praestare studuerunt. Neque frustra laborem illum sibi sumserunt. Veritas enim pariter atque innocentia adhuc in tuto sunt, omnesque hostiles conatus magis ad eas confirmandas ac corroborandas, quam ad labefcendas fecerunt. Verum haec translaticia videantur, et nostris temporibus cum praeterita aetate communia. At habet etiam seculum, quod nunc agitur, praeter superiora, non nihil praecipuum, sibi que proprium, quod merito in maximis Dei beneficiis, paternique favoris documentis ponimus, deoque hoc nomine summas persolvimus gratias. Paucis res expedienda est, ideoque summa tantum capita decerpenda, vel potius indicanda. Et primo quidem huc referimus, quod rei divinae notitia multis partibus hac aetate, quam praeterita fuit, major videatur et auctior, multaque doctrinae coelestis capita in clariore luce sint constituta. Debemus hanc seculi nostri praestantiam partim acerrimis illis contentionibus, quae civitati Dei cum pluribus, domi forisque, hostibus interceserunt; partim magno illi, quod tempora nostra ceperunt, omnis fere eruditionis incremento. Ex quo enim tempore, non artium modo studia, sed etiam philosophia, mathematica, historia, tam civilis quam sacra, aliaeque disciplinae, nova luce exsplendescere coeperunt; non potuerunt non illae theologiae aliquid radorum suorum ministrare. Ea enim divinae humanaeque scientiae semper fuit conjunctio, ut alterius vel tenebris obscuraretur, vel lumine lumen acciperet. Ne autem hac in re enarranda longior sim, reputemus modo, hujus seculi dimidio, quot sacri codicis loca illustrata sint, quam tota de interpretatione scripturae sacrae doctrinae, novam multoque elegantiore formam induerit, quantumper eloquentia sacra sit culta, quam egregie ex rerum natura accuratius inspecta, summi rerum opificis sapientia, potentia, et bonitas ob oculos posita sit, et demonstrata. Tac eo alia.

Ex controversiis autem, quae in haec tempora illatae et introductae sunt, quantum resp. sacra habet commodi! Nihil enim doctrinae coelestis a maleficanis hominibus in dubium vocatum est, quod non novum hoc ipso robur acceperit. Quo major vis et audacia eorum extitit (ut vel unum, idemque alterum, locum in exemplum adducam) qui hujus universitatis conditorem conservatoremque e mundo iverunt sublatum, vel, qui ejus saltem cultum extinguere conati sunt, nihil, agentes, rerum humanarum ab illo curari, omnia suae cujusque libidini esse permissa: hoc validiora pariter, atque acutiora, arma sunt inventa, quibus istorum hominum, vel amentia, vel temeritas, retunderetur et frangeretur; recte vero sentientes animo confirmarentur. Quodsi alii scripturae sacrae, vel veritatem, vel dignitatem, vel necessitatem, oppugnarunt, contententes, humanam mentem, vel sine illa, satis valere ad Deum cognoscendum, et rationem, qua illa sit colendus, ineundam: in loco, quem suo jure inter homines obtinet, a sapientissimis viris illa est vindicata, certissimisque evictum argumentis, omnem fere rationem exuisse illos, qui rationi suae tantum tribuerent, ut confiderent, ejus unius opera justissimo ac severissimo numini satis se esse facturos. Pari ratione, quaecunque alia sacrosanctae nostrae fidei capita tentari a quoquam coepta sunt, iis omnibus tantum praesidii est adjectum, ut in posterum a nemine, nisi audacissimo, peti possent. Cum alii omnia in religione ad veram rei divinae cognitionem referre viderentur; alii omnia in actione virtutis, vitaeque innocentia, ponere: collatis inter se sententiis factum est, ut jam fere unversi in eo amicissime conspirent, neque sine veri cognitione virtutem posse exerceri, neque sine morum integritate, vitaeque innocentia sola rerum theologiarum scientia, hominem Christianum perfici. Illud itaque ex hac dissensione emolumentum cepit res Christiana, ut non ea solum theologiae pars, quae, quid credendum sit, docet, sed etiam, quae de moribus componendis, vitaeque pie instituenda, agit, curatius tractaretur. Multo plura, fateor, hac de re dicenda essent; sed ne hujus paginae angusti-

gustia' excludamur, alia in medio relinquimus. Nam ex his
fatis intelligitur, non exiguam nostrorum temporum, prae su-
perioribus, esse excellentiam. Sequitur alterum, quod cum prio-
re conjunctum est. Nimirum aliquanto plus operae in homini-
bus ad ueram pietatem exstimulandis, nostra aetate fuit. Habue-
runt, etiam, quod minime inficiamur, praeterita secula suos Arn-
dios, Gerhardos, Mulleros, aliosque praestantissimos viros: ne-
que vero nostris temporibus de doctoribus in ecclesia queri est
desitum, qui pietatem negligentius habere viderentur. At, nisi
me omnia fallunt, fuerunt hoc tempore multo plures, quam su-
periore memoria, qui omnem lapidem moverent, ut hominum
animos a rerum terrestrium studio, ad caelestium curam, avoca-
rent, atque ad Deum impensius colendum accenderent. Non
ignoramus, ab aliquibus hac in parte per incitiam, temerita-
temque, graviter esse peccatum: sed vereor, ne adversus Deum
ingrati simus, si omnino omnes piorum sapientiumque hominum
impetus, ad excitandam animi religionem facientes, quineq; pau-
ci, neque leves fuerunt, vel acculemus, vel abjiciamus, vel, ali-
quid inde salutis in ecclesiam emerfisse negemus. Si alia omnia,
tanquam nimis cupide ac temere gesta, vituperemus; nemo ta-
men habebit, quod religiosorum hominum studium reprehendat,
qui operam dederunt, ut sermo Dei inter nos bene effuseque
habitaret, quod et ipsum in singulari temporum nostrorum felicita-
te ponimus. Non enim sine animi voluptate recordamur, quod sa-
cer codex saepius quam ante factum fuerat, inde ab hujus seculi
initio in vulgus sit editus; seu eas spectemus editiones, quae, docti-
oribus paratae sunt, seu, quae etiam rudioribus. Quoties biblia
sacra, ebraica, graeca, latina, aliarum etiam linguarum, prelo
sunt subjecta? quoties biblia germanica, cum alibi frequenter, tum
frequentissime Halae typis sunt expressa, et parvo pretio ven-
dita? ut nemo fere tam destitutus opibus sit, qui ea non vel rota,
vel ex parte potiore, sibi, suisque singulis, comparare possit. Prae-
terea laboratum est, ut sacer codex, sicubi obscurior ad intelligen-
dum videbatur, magis magisque illustraretur. Parem industriam
me-

meminimus collocari in aliis libris, ad instruendam vitae innocentiam pertinentibus, ex quibus non potuit non multum emolumentum in rem Christianam redundare. Aliorum opera non minus commendanda videtur, qui religioni ita consulere studuerunt, ut scholas et orphanotropha, aut instituerent, aut suis sumptibus alerent, ubi omnis generis liberi, etiam miserissimi doctrinae christianae mysteriis accuratius imbuerentur, et ad vitam pie sapienterque agendam assuefierent. Alii alias rationes inierunt, ne homines, pueri et adulti, futurae suae felicitatis, aut ignari, aut incuriosi, relinquerentur. Et quis credat, hos conatus, si vel omnem expectationem non sustinuerint, omnino irritos fuisse et omni successu destitutos. Habemus igitur, cur et Deo gratias agamus, et nostra tempora etiam hoc nomine beata praedicemus. Succedit, ut felicitatem huic seculi dimidio ex afflictione pariter atque solatio, quibus pii affecti sunt, petamus. Nam quamvis non negemus, afflictiones, maxime publicas, ad clades ecclesiae magis, quam ad triumphos pertinere; ipsa tamen illa iisdem nullo non tempore, tanquam singularibus gratiae divinae erga se documentis, conspicua fuit. Vix enim ampliora divini praesidii monimenta, aut suae constantiae patientiaeque, et aliarum virtutum, habet signa, quam gravissimas calamitatum perpesiones. Idcirco nos quidem non dubitamus, easdem, tanquam insignes, quas temporibus nostris Deus concessit, praerogativas nominare. Sed veremur, ne commemorandis hisce rebus justo diutius immoremur, si omnia incommoda vexationesque, quas purioris ecclesiae cives passim per Hungariam, Poloniam, Transylvaniam, Bohemiam, Silesiam, subierunt, velimus indicare; neque eae his quinquaginta annis ita propriae sunt, ut eas cum praeteritis seculis non habeant communes. Itaque et sanguinem Christianum pietatis causa Thorunii effusum mittimus, et afflictiones, quas in Germania undique sacrosancta religio ab hostium audacia et atrocitate pertulit, taciti praetermittimus. Sed illas Salisburgensium, et, qui eorum finibus conjuncti sunt, Berchtolsgadensium, migrationes non possumus non dicere, rem aliis temporibus non audi

auditam, nostraeque aetatis insigne decus et ornamentum. Tringenta enim circiter hominum millia, qui inter superstitiosas gentes religiosissimam de Deo, ejusque cultu, sententiam diutissime palam pro Ponere non sustinuerunt, eamque sine scholis et templis, sine doctoribus etiam publicis, quam plurimos annos non tenuerunt modo, sed etiam alia alii aetas, quasi per manus, tradiderunt, eandem vero deinde tanta cum animi fortitudine professi sunt, ut carcerem, omnisque generis cruciatus, et tormenta, perpeti, patriam porro, conjuges, liberos, propinquos, praedia, et quicquid in vita carere habebant, deserere, quam animi religionem aut proderet, aut diutius occultare maluerint. Hac vero in fortitudine tantam animi aequitatem, gravissimorum incommodorum tolerantiam, rei divinae cognitionem, vitae innocentiam plae-rique prodiderunt, ut magna terrarum, per quas iter fecerunt, ad Deum hactenac de re celebrandum et studiosius amandum, facta sit concitatio. Habemus in his hominibus illustre exemplum fidei Christianae fructibus suis conspicuae. At illi etiam invenerunt ubique, qui rerum ejusmodi misericordia tangebantur, et laborantes recreare studerent. Quocumque enim terrarum profecti sunt, non defuere, qui illos homines hospitio benigne exciperent, liberaliter foverent, animos vel doctrina coelesti, vel solatio, confirmarent, eorum inopiam suis opibus sublevarent, quoad regum Borussiae et Angliae, aliorum etiam principum, munificentiam pedem figere, novamque sibi patriam condere potuerunt. Ex omnibus autem terris, ubi sacra evangelica vigent, ex Anglia etiam et Batavia ingens pecuniae vis collata est, ad illorum hominum calamitates sublevandas. Non opus esse puto, plura commemorare de re, quae omnium mentibus infixam manet, et de qua proluxa et copiosa scripta extant; nisi forte Silesios, per tam longam annorum seriem, gravissime pressos et afflictos, in divini solatii, quibus miseros reficere consuevit, monumentis, ponere velimus. Sed sufficit ostendisse, has res in praecipuis divinae bonitatis erga ecclesiam testimoniis esse numerandas. Alia est, adhuc temporum nostrorum felicitas, in cujus societatem superior aetas venire non audet. Ne ullum enim tempus est, ex quo ecclesia elegantioram illam formam, qua nitet, induit, quod cum

cum nostrorum temporum studio, coelestem doctrinam in rudibus veri Dei gentibus spargendi dissimandique, conferri mereatur. Vitio olim nostrae ecclesiae a nonnullis datum est, quod gentium, a sacris Christianis alienarum, facti non studeat: hostes porro inde calumniandae ejus occasionem petierunt, quasi diffident causae suae religionis nostrae assertores, nec tantum virium haberet et roboris doctrina nostra, quantum ad faciendam vanis deorum cultoribus fidem necessarium esset. At absterfa est haec ab ecclesia nostra, si qua fuit, macula, et egregia dedit aetas nostra documenta, quibus monstrarunt, magis valere Lutheranam doctrinam ad caecas gentes illustrandas, quam adversariorum; virosque in nostro coetu esse, qui non magis ejus laboris molestias quam ipsi, subire recusent; fructus autem eorum operam civitati Dei afferre multo ampliores, Rem dico in Malabaribus gestam, in vulgus notissimam, plurimisque ibrorum monumentis celebratam, cujus prolixa expositione me superfedere posse spero. Illud addo, dubium videri, quid plus gloriae et admirationis habeat, consiliumne piissimorum Daniae regum, aliorumque illustrium virorum qui hanc rem primi conati sunt, neque ullis se sumtibus, difficultatibusque deterreri sunt passi: an hominum animus, qui relicta patria, omnibusque spretis, commodis et incommodis, in terras, sub alio coelo jacentes, contenderunt, ac totos se pro miserimarum gentium felicitate devoverunt; an illorum hominum liberalitas, qui ad consilium hoc exsequendum, opusque urgendum et amplificandum sumtus conferunt, ut quotannis multa aureorum millia ex una Germania in Indiam mittantur; in quo Anglorum Batavorumque officium maxime praedicandum est, qui consilio et opibus causae Lutheranae non minus prolixe serviunt, quam si sua ipsorum esset: an denique admirabilis hujus consilii successus, verbique divini vis et efficacia, quod in arido loco sparsum, tantas radices egit, et tam late diffunditur, ut magnam jam Indiarum partem occupaverit, et in dies magis exsplendescat. Non sine insigni animi delectatione relatum legas, quam egregie, cum pueri, tum adulti, ipsique decrepiti senes, Christianam doctrinam doceantur, ut ex novitiis Christianis aliqui vitam agant, ipsa Apostolicorum temporum inno-

cen-

centia non indignam; et in illis fuerint, qui non sine magno novae eccle-
 siae fructu, aliquibus regionibus magistri et doctores praefici potuerint.
 Quod, quidem opus, ne temporum injuria concidat, sed maneat, augeatur-
 que, reges Daniae statuerunt, unde, et quanta, singulis annis ei pecunia re-
 diret, et collegium ei praeposuerunt, virorum prudentia pietateque praestan-
 tium, quod evangelii, per gentes profanas propagandi, curam indefessam ge-
 rat. Idem fere negotium ab Anglis datum est Societati Londinensi, sub hu-
 jus seculi initium institutae, ut de religionis Christianae terminis, inter ex-
 teras gentes proferendis, laboraret. Neque tamen terra Malabarica, aut
 India Orientalis, unica regio est, in quam curam suam contulit nostra ec-
 clesia, alienae salutis studiosa. De Groenlandia et Lapponia, de Iudaeis
 et Turcis, evangelica luce collustrandis, agitur, qui, utinam! conatus lae-
 tissimo eventu prosperentur. Quin etiam Serenissimus Darmstadiensis Land-
 grafus novo, eoque incomparabili, exemplo prospexit, ne vitae praesidia de-
 sint iis, qui ex Papatu ad puriora sacra se conferre animum inducant. Ex his au-
 tem non minus, quam ex superioribus omnibus efficitur illud, habere nos ad-
 huc, cur de facie ecclesiae, quamvis nonnullis in locis graviter afflictae, gau-
 deamus potius, quam doleamus. Deum autem supplices veneramus, ut
 omnia quae tam pie, quam sapienter, instituta sunt, non aetatem modo serant, et
 augeantur, sed in primis etiam in nominis sui gloriam cedant, regni que coe-
 lestis amplificationem. Protegat ipse et defendat parvulum suum gregem
 ab hostium injuriis et machinationibus, et eidem verbi sui puritatem clari-
 tatemque, ac vitae innocentiam, ad omnium seculorum finem conservet.
 Nos vero ob haec, et alia plura beneficia, quae Deus in rem non minus ci-
 vilem et litterariam, quam sacram, per hoc dimidium seculi contulit, ni-
 hil alienum, opinor, ab officio nostro faciemus, si hoc msdium seculum,
 quo divinae benevolentiae memoria apud juveniles animos testatior sit, o-
 rationibus quibusdam scholasticis insigniamus; praesertim cum sint disci-
 plinae nostrae alumni aliqui, qui, fundamentis studiorum bene jactis, in a-

AKT: 2/08 X3A9840
cademiam proficiscendi consilium ceperunt. Hi memorabilia quaedam
hujus dimidii seculi oratione, pro suis quisque viribus, celebrabunt, et
primus quidem:


CAROLVS GOTTLIEB DOEBLERVS, Numburg:
*Indos Orientales ad Christiana sacra vocatos, carmine latino eoque
heroico, canet, alter:*

JOANNES AVGVSTVS DATHIVS, Weisensfels:
*de incremento rei litterariae per hos quinquaginta annos facto, dicet,
tertius:*

CHRISTIANVS FRIDERICVS WALBAVM, Numburg:
*de insignibus quibusdam mutationibus, quas res civilis per Europam hoc seculo
habuit, verba faciet. His omnibus discessum gratulabitur*

CHRISTIANVS HENRICVS PAVLSEN, Jenensis,
qui simul, *pro felicitate temporum conservanda et augenda, verbis latinis
vota concipiet. Ad hos tirones oratores audiendos, ut Patroni Fautoresque
rei scholasticae frequenter convenire, adumque illum oratorium cras ho-
ra IX ante meridiem sua praesentia ornare ne dedignentur, hoc est,
quod demisse et enixe rogamus. P. P. Numburgi
ipsis Cal. Aprilis A. S. R. MDCCCL.*





Farbkarte #13

B.I.G.

752
Pi
2108

ACTVM
ORATORIVM,
IN
SCHOLACATHEDRALI
NVMBVRGBENSI

(HABENDVM, INDICAT,

ET,

DE FACIE ECCLESIAE NOSTRAE
A PRINCIPIO HVIVS SECVLI NONNIHIL MVTATA,

PAVCA PRAEMITTIT

CHRISTIANVS BENEDICTVS MILCKIVS,
SCHOLAE CATHEDRALIS RECTOR.

NVMBVRGBI,
TYPIS BALTH, BOSSOEGELI, PRIVIL. TYPOGR.

